

VENI, CREATOR SPIRITUS

**Veni, Creator Spiritus, mentes tuorum visita:
imple superna gratia quae tu creasti pectora.**

**Qui diceris Paraclitus, altissimi donum Dei,
fons vivus, ignis, caritas et spiritalis unctio.**

**Tu septiformis munere, digitus paternae
dexteræ, tu rite promissum Patris sermone
ditans guttura.**

**Accende lumen sensibus, infunde amorem
cordibus, infirma nostri corporis virtute
firmans perpeti.**

**Hostem repellas longius pacemque dones
protinus; ductore sic te praeviso vitemus
omne noxium**

**Per te sciamus da Patrem, noscamus atque
filium, teque utriusque Spiritum credamus
omni tempore.**

**Deo Patri sit gloria, et Filio, qui a mortuis
surrexit, ac Paraclito in saeculorum saecula. Amen.**

V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

**Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione
docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et**

**de eius semper consolatione gaudere.
Per Christum Dominum nostrum.
R. Amen.**

MIDI :

<http://www.schuyesmans.be/gregoriaans/EN/ENnet.htm>

MP3:

<http://www.katapi.org.uk/Music/Music.htm>

VENI, SANCTE SPIRITUS

**Veni, Sancte Spiritus, et emitte
caelitus lucis tuae radium.**

**Veni, pater pauperum, veni, dator
munerum, veni, lumen cordium.**

**Consolator optime, dulcis hospes
animae, dulce refrigerium.**

**In labore requies, in aestu temperies
in fletu solatium.**

**O lux beatissima, reple cordis intima,
tuorum fidelium.**

**Sine tuo numine, nihil est in homine,
nihil est innoxium.**

**Lava quod est sordidum, riga
quod est aridum, sana quod est
saucium.**

**Flecte quod est rigidum, fove
quod est frigidum, rege quod est**

devium.

**Da tuis fidelibus, in te confidentibus,
sacrum septenarium.**

**Da virtutis meritum, da salutis exitum,
da perenne gaudium.**

Amen. Alleluia.

ORATIO

**Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium:
et tui amoris in eis ignem accende.**

**V. Emitte Spiritum tuum et
creabuntur.**

R. Et. renovabis faciem terrae.

Oremus.

**Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione
docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere,
et de eius semper consolatione gaudere.**

Per Christum Dominum nostrum

R. Amen.

MIDI :

<http://www.schuyesmans.be/gregoriaans/EN/ENnet.htm>

MP3:

<http://www.katapi.org.uk/Music/Music.htm>